

unquam quis iucundiori deductione officia cujusvis erga quemvis, & præsertim commoda proximi promovenda delineavit, sane est **SENECA. Lib. IV. De Beneficiis. Cap. XII. p. m. 314. A.** Uberioris explicationis gratia, quomodo puta, miseriores sint refocillandi? legatur **SOCRATES. in Gorgia, vel Rhetorica Platonis. Libr. XXV. p. Opp. Platonis 372. m.** His deductis nulla thesis aut consequentia hucusque datur, quæ perhibeat Communionem Bonorum, sed potius quisque convincitur, accuratissimum ordinem introductum esse, dum cuivis sua sunt collata ac dispensata bona ac dona, quæ quidem ad suum ac proximi usum applicare tenetur, sic tamen, ut cuilibet sua Jura, sua dona, sua peculia propria maneant; hæc igitur officia dum omni socialitatis membro incumbunt, vel eo quidem ipso, Communio quædam Bonorum non erit necessaria.

§. X.

Quemadmodum ergo Imperantibus hanc legem dedit **CICERO, de OFFICIIS. Libr. II. Cap. XXI. Imprimis autem videndum erit ei, qui Rempublicam administrabit, ut Suum quisque teneat, nec de bonis Privatorum publice diminutio fiat. &c.** Ita secundum Juris N. dictamen cuique hominum competit status aliquis, & qualitas ea moralis, ad aliquid juste habendum aut agendum, inde siquidem respectu personæ dominium, respectu rerum vero proprietas exorta. *Nec enim ut voluptatem expetat natura movet infantem. Sed tantum ut se ipsum diligat, ut integrum se salvum que velit. Omne enim animal simul ut ortum est, se ipsum & omnes suas partes diligit - contraria, add. CICERO.*

C

Libro